



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 2. Utrùm Pœnitentia Theologicè sumpta sit Virtus specialis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

& Marfilii virtutes morales per se infusas negantes.

63. Suppono secundò: virtutes posse induere diversas denominationes secundum diversos actus ab eis elicitos: sic misericordia quando alicui elargitur elemosynam, ne incidat in paupertatem, vocatur præservativa; & quando succurrit alteri ut ab indigentia liberetur, vocatur reparativa. Quod evenit etiam in potentia, sic potentia humana dicitur sensitiva in ordine ad sensationes, & discursiva in ordine ad discursus. Pariter si à virtute Charitatis non solum possit provenire purus Dei amor super omnia, sed etiam actus perfectæ contritionis, in ordine ad purum Dei amorem super omnia, non dicitur pœnitentia, sed charitas; in ordine verò ad actum perfectæ contritionis diceretur pœnitentia. Suppono tertio: virtutes per se infusas voluntatis dividi in universales, & non universales. Virtus universalis dicitur illa, cujus objecto formali opponuntur omnia peccata: Sic inter virtutes theologicas Charitas habet pro objecto formali bonitatem Divinam; cui omnia peccata opponuntur. Spes habet objecto formali saltem Omnipotentiam auxiliantem in ordine ad Beatitudinem, cui innixa fiducialiter desiderat æternam Beatitudinem; cui opponitur quodcumque mortale; cum ratione cujuscumque peccati mortalis amittamus Beatitudinem.

64. Pariter inter virtutes morales Religio habet pro objecto formali honestatem reverentiæ, sive cultus debiti Deo; cui divino cultui singula peccata opponuntur. Obedientia respicit pro objecto formali honestatem objectivam rei præceptæ, contra quam militat quodcumque peccatum; cum sit contra præceptum divinum. Virtus gratitudinis habet pro objecto formali honestatem compenlandi beneficium acceptum à benefactore, & quodcumque peccatum mortale est contra honestatem compenlandi beneficia debita Deo. Justitia sive stricta, sive lata; quæ datur inter Deum; & creaturas habet pro objecto formali, vel honestatem objectivam juris Divini illæsi, ut aliqui explicant, vel honestatem habendi pacem cum Deo, ut alii contendunt; cum autem quodcumque peccatum impediatur Divini juris illæsi, aut integrantiam pacem cum Deo, exinde unumquodque peccatum opponitur tali justitiæ inter creaturam & Deum; eodémque modo dicendum de aliis similibus virtutibus universalibus. Virtus non universalis est illa, cujus objecto formali non opponuntur omnia peccata: sic peccatum avaritiæ non opponitur cum objecto formali castitatis, nec peccatum intemperantiæ cum objecto formali liberalitatis; cum luxuriosus possit esse liberalis, & avarus castus; & sic de aliis. Unde hujusmodi virtutes dicuntur non universales.

65. Suppono tertio voces, quæ absolute sumptæ habent unam significationem, posse habere aliam diversam, si cum aliqua restrictione accipi-

antur: Sic rationale absolute sumptum significat idem ac capax rationis, & intellectus, quo in sensu convenit non solum creaturis, sed etiam Deo; & multò quidem perfectius, quàm creaturis, cum sit infinite perfectius capax rationis & intellectus, quàm creaturæ. Si verò rationale sumatur in restrictione philosophica, solum significat intellectum potentem transire per discursum ex notis ad ignota; quo in sensu seculum præfert ignorantiam, sive positivam, sive privativam: cumque solæ creaturæ sint capaces ignorantie, secus autem Deus; ea de causa rationale in restrictione philosophica sumptum convenit creaturis, & non Deo: unde homo distinguitur à Deo per rationale restrictè sumptum; secus per rationale absolute acceptum. Pariter pœnitentia actualis (idem suo modo de habituali) potest dupliciter considerari: primò theologice sumpta prout ex Scriptura; Conciliis, & PP. accipitur ab omnibus ferè theologis; sive expositivis, sive scholasticis, sive moralibus; nimirum pro dolore detestativo peccati commisi cum proposito non peccandi de cætero, ut diximus à num. 12.

66. Secundò considerari potest in restrictione scholastica pro voluntate faciendi opera bona ex motivo formali satisfaciendi Deo per peccatum offenso. Etenim ut ait Carleton disp. 97. sec. 7. num. 5. iste est communis sensus restrictionis theologorum; non autem Scripturæ; Conciliorum, aut PP. nam ut ait Ariaga disp. 10. de virt. pœn. sec. 3. n. 15. nec verbum ullum est in tota S. Scrip. & PP. de eo speciali motivo, licet de dolore, de proposito &c. multa sint: quod prius dixerat Eximius Doctor disp. 3. sec. 3. §. ult. eaque de causa ait Card. de Lugo disp. 2. de pœnit. sec. 4. num. 65. *Est ergo ad salutem necessariam pœnitentia communiter sumpta (id est theologice) prout comprehendit quemcumque actum doloris efficacis ex motivo sufficienti ad contritionem vel attritionem; non verò strictè, prout significat hanc specialem virtutem, de qua nunc loquimur.* Quæ duo maxime distinguenda sunt, ne incidamus in æquivocationes, in quas ob defectum hujus distinctionis alii prolapsi sunt; ut infra constabit. Agemus ergo in hac disputatione de pœnitentia theologice sumpta; in qua sunt quæstiones de re, & postea de pœnitentia in restrictione scholastica accepta; in qua sunt quæstiones de nomine, ut post alios Theologos notavit bene Maurus quæst. 232. num. 14. His positis.

§. II.

67. **A**stero primò: actus pœnitentiæ theologice sumptæ elici potest à quacumque virtute per se infusa universali voluntatis, ac proinde quævis universalis voluntatis virtus in ordine ad illum actum elicitem denominabitur vera virtus pœnitentiæ: Ita communiter Theologi cum Eximio Doctore disp. 3. sec. 8. Probatur primò: ad eandem virtutem; ad quam pertinet trahere ad se suum peculiare bonum; spe-

ctas

Est etiam retrahere à se oppositum malum, ut constat ex dictis à num. 8. Sic charitas, quæ habet pro objecto formali bonitatem divinam non solum amat propter divinam bonitatem ea, quæ sunt divinæ bonitati conformia, sed etiam propter divinam bonitatem fugit, quidquid opponitur ipsi bonitati divinæ. Sic etiam obedientia, quæ adimplet omnia mandata, quia à Deo præcepta, fugit omnem transgressionem divinorum mandatorum; ac proinde voluntas instructa quavis virtute universaliter, quando considerat malum commissum illius virtutis fini oppositum, potest detestari dolorosè illud malum cum proposito illud non committendi, non solum propter objectum suum formale, ut per aliud particulare motivum contractum ad specialem illius mali turpitudinem, verum etiam propter universalitatem sui motivi oppositi cum omni peccato; sed talis actus, ut per se patet, est actus penitentiaæ theologicæ sumptæ: ergo &c.

68. Confirmatur ab Eximio Doctore: velle formaliter unum objectum unice propter rationem formalem æquè ab altero participatam est virtualiter velle alterum: sic qui formaliter amat Petrum unice, quia est amicus Dei, virtualiter amat omnes, qui sunt amici Dei, neque in confortio illius amoris potest elicere odium vel unius amici Dei: Sic etiam qui assentitur Mysterio Incarnationis unice propter Testimonium Dei dicentis, virtualiter credit omnia, quæ Deus dicit, neque in sensu composito illius actus fidei potest dissentiri alteri objecto ut proposito, & dicto à Deo: ergo ille qui dolet, & detestatur unum peccatum cum proposito illud non committendi de cætero, unice propter motivum virtutis universale, virtualiter dolet, & detestatur omnia peccata, cum proposito non committendi illa de cætero, utpote eandem rationem formalem motivi æquè participantia, & æquè sub ea ratione formali comprehensa; sed in eo stat actus penitentiaæ theologicæ sumptæ ut constat à num. 12. ergo à quacumque virtute universaliter potest elici actus penitentiaæ theologicæ sumptæ.

69. Probatur secundo: non potest voluntas efficaciter intendere consecutionem finis, quin virtualiter velit remotionem illorum impedimentorum, sine qua non obtineretur finis: atqui finis virtutis universalis obtineri non potest, si ponatur vel unum peccatum mortale; cum quodcumque mortale opponatur cum fine virtutis universalis, ut constat à n. 65. ergo nequit voluntas efficaciter velle conservare illa sum finem virtutis, contra quem opponuntur omnia peccata, dolendo & detestando peccatum commissum prout oppositum objecto formali talis virtutis. quia volitio illa efficax sit virtualis saltem detestatio omnium peccatorum, & propositum saltem virtuale non peccandi de cætero: repugnat enim ex ipsis terminis, quod voluntas efficaciter velit conservare illa sum objectum formale virtutis, contra quod opponun-

tur omnia peccata, & simul velit peccare: sed talis actus est actus penitentiaæ theologicæ sumptæ: ergo à quacumque virtute universaliter voluntatis potest elici actus penitentiaæ theologicæ sumptæ. Videatur August. tom. 4. de vita & fallâ penitentia; ubi per totum tractatum doctrina nostra clarissimè confirmatur.

Confirmatur: non potest voluntas efficaciter detestari penas inferni, quin virtualiter detestetur omnia peccata: cum unum peccatum sufficiens sit ad eas penas incurrendas; neque potest odio prosequi unum peccatum, ne amittat Gloriam, quin virtualiter omnia detestetur, cum unum peccatum sufficiens sit ad Gloriam amittendam: ergo quando omnia peccata opponuntur objecto formali unius virtutis, non potest voluntas efficaciter odio prosequi, & dolere de peccatis commissis pure propter objectum formale talis virtutis, quin virtualiter detestetur omnia peccata, & sit ea volitio incompossibilis cum voluntate peccandi, adeoque & actus penitentiaæ theologicæ sumptæ.

Respondet Medina, Arriaga, Comptono, & pluribus Recentioribus, aliquando posse voluntatem amare unum objectum propter motivum universale, quin virtualiter amet cætera objecta; sic potest aliquis velle dare elemosynam ut quatuor propter bonitatem elemosynæ, quin velit virtualiter dare ut odio. Periter potest velle confiteri, & communicare propter Deum, quin virtualiter velit jejuniare. Sic etiam potest velle conficere hanc navem, quia apta est ad navigandum, quin virtualiter velit conficere alias, quamvis apta sint ad navigandum, & sic de millenis aliis. Unde poterit etiam voluntas detestari unum peccatum propter motivum universale, quin exinde detestetur alia peccata virtualiter. Verum hæc responsio, ni fallor, vel non venit ad rem, vel confundit duo toto cælo diversa, nimirum motivum comprehensum in universali, cum motivo universaliter, ut bene notaverat Eximius Doctor supra citatus, quem adversarii animosè impugnant, & citant, quin ipsius solutionem sibi objiciant vel solvant. Quæ-
74.

Contra primò: quando aliquis vult detestari elemosynam ut quatuor, vel habet pro objecto mali illam honestatem ut quatuor elemosynarum comprehensam in motivo universaliter, vel honestatem præcisè ut honestas est elemosynæ, sive quod idem est motivum universale. Et primò: ille actus non habet motivum universale, sed comprehensum in universali, ut proinde, licet non sit virtualis volitio detestandi elemosynæ, perperam exinde inferitur, actum habentem motivum universale non esse volitionem virtutem alterius elemosynæ. Si secundum: ergo ratio, propter quam vult illam elemosynam omnino eadem militat in aliis, ut proinde erit etiam virtualis volitio alterius. Cæterum quia illi, qui dant elemosynam communiter moventur à peculiari illius honestate
74.

majori vel minori, secundum majorem vel minorem voluntatem dandi; & rarissimi sunt, qui ex universali motivo moveantur, ea de causa sunt rarissimi, qui dant, quantum possunt dare, & qui dando unam habeant voluntatem virtualem donandi reliqua, ut fecerunt aliqui egregii, & SS. viri, qui tale generale motivum habebant: & quia communiter motivum formale est specialis honestas, idè volitio unius non est virtualis volitio dandi omnia; quinimò, ut accurate notavit Eximius Doctor disput. 3. sect. 8. num. 9. sapientissimè non attingitur motivum universale, quia non movetur voluntas ab illo secundum suam universalitatem, sed habendo etiam pro motivo aliquam specialem conditionem, quæ ad alia objecta non se extendit, vel saltem habendo pro motivo partiali, quo universale contrahitur, jus & facultatem ad exercendum se circa hoc objectum, idè que non attingitur præcisè propter rationem æquè in omnibus objectis materialibus militantem. Exinde.

73. Contra secundò: quando aliquis vult confiteri, & communicare propter Deum, vel movetur ab honestate illius operis, quæ placens est Deo, & quæ communis non est omnibus aliis objectis, vel unice à complacentia divina circa opera bona? Si primum: illud non est motivum universale, sed particulare, ac proinde nullam exinde rationem afferunt adversarii ad solvenda argumenta, quæ contra ipsos confestim. Si secundum: ergo motivum illius volitionis eodem modo ac in confessione, & communione adest in jejuniis & reliquis bonis operibus Deo placentibus, ac proinde erit volitio virtualis reliquorum, sive quod idem est ex se incompossibilis cum aliorum volitione: si enim voluntas alia formaliter non attingit, idè est, quia tunc ab intellectu, vel ratione inadvertentiæ, vel ob aliam similem causam non repræsentantur. Cæterum quia hujusmodi volitiones solum habentur raro, sicuti legimus de S. Theresia, quæ voto se obstrinxerat ad faciendum in omnibus, quæ Deo placentiora judicaret, ea de causa raro habet voluntas in ordine ad amplexionem ejusmodi motivum universale.

74. Pariter qui vult se committere huic navi, & non alteri, non solum habet pro motivo aptitudinem navis ad navigandum, sed aliquam contractivam conditionem respicientem hanc navem, & non alias ex dictis num. 72. aliter non eligeret hanc præ aliis. Sic qui vult emere omnes naves accedentes ad portum, præcisè quia aptæ sunt ad navigandum, non potest ex vi hujus voluntatis emere istam, & relinquere illam æquè aptam ad navigandum, ut per se patet: ergo &c. Contra tertio detegendo æquivocationem adversariorum: Licet voluntas possit pro libito suo attingere objectum materiale, vel propter motivum purè universale, vel addendo conditionem non universalem omnibus objectis materialibus, attamen non est

libera ad attingendum propter motivum purè universale, & quod simul ea ratio non participetur æquè ab omnibus objectis materialibus: si enim volo hanc medicinam, præcisè quia necessaria est ad salutem, non possum ex vi hujus volitionis respuere aliam omnino necessariam ad salutem: ergo volitio unius objecti præcisè propter motivum, quod æquè reperitur in aliis, est virtualis volitio aliorum.

Hæc autem est ratio à priori, inquit Eximius Doctor, propter quam quilibet assensus fidei est virtualis assensus omnium, quæ à Deo dicuntur, quia ut eliciatur actus fidei, requiritur, quod unice credat propter testimonium Dei loquentis, quæ ratio formalis æquè reperitur in omnibus fidei objectis: si autem aliquis non moveretur ad credendum propter solum testimonium Divinum, sed ut corroboratum alio motivo, jam non esset actus fidei, ut docetur in tractatu *De fide*, & constat ex ipsa fidei definitione. In objectis autem formalibus aliarum virtutum non ita contingit ex necessitate, cum non præcipiat Deus attingentiam objecti materialis semper propter universalitatem sui objecti formalis: potest enim voluntas intra lineam ejusdem virtutis magis vel minus extensè laudabiliter operari abique disformitate cum natura rationali: Sic natura rationalis non solum approbat voluntatem dandi eleemosynam ut octo, sed etiam ut unum, ac proinde & potest virtus cum voluntate concurrere ad illum actum elicendum, nisi tunc voluntas annectat conditionem non se extendentem ad omnia objecta materialia: virtus quippe ex se indifferens est, ut se conjungat cum conditionibus sibi non oppositis, licet voluntas non adeo perfectè operetur cum illa virtute, ac operaretur si moveretur ex universalitate motivi. Ex quo intelliges diversitatem actuum ab eadem virtute provenientium indicaram n. 20.

§. III.

76. A Siero secundò: actus pœnitentiæ in restrictione scholastica secundum D. Th. usurpationem considerata non procedit ex motivo omnium virtutum universalium, sed ex motivo justitiæ illius, quæ inter Deum, & creaturas intercedit, ac proinde non se extendit ad omnes virtutes universales voluntatis. Probatur primò: juxta restrictionem D. Thomæ ille dicitur actus pœnitentiæ, qui est dolor de peccato commisso in quantum est offensa Dei, ita ut non solum intendat cessationem offensæ, sed ulterius exigat illius compensationem ex parte offendentis, atque elicere actum ex motivo compensandi offensam contra Deum, est illum elicere ex motivo illius justitiæ, quæ inter Deum & creaturas reperitur: ergo &c. Consequentia tenet, & præmissæ delumptæ sunt ex ipsius D. Thom. doctrina. Major enim constat ex quest. 85. art. 3; in corp. ubi D. Th. ait: *Pœnitentia non habet, quod sit virtus specialis*

Ubi ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret charitas) sed ex eo quod poenitens dolet de peccato commisso in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensa contra aliquem commissa, non fit per solam cessationem offensa, sed exigitur quadam recompensatio, qua habet locum in offensis in alterum commissis, sicut & retributio: nisi quod recompensatio est ex parte ejus, qui offendit (supote cum satisfactione) retributio autem est ex parte ejus, in quem est offensa commissa. Ex quo patet veritas Majoris.

77. Probatum etiam Minor ex eodem D. Thom. qui loc. cit. ita prosequitur: *utrumque autem ad materiam justitiae pertinet, quia utrumque est commutatio quadam, unde manifestum est quod poenitentia secundum quod est virtus, est pars justitiae. Quibus in verbis continetur Minor nostri syllogismi. Ubi notare maxime oportet, S. Thom. non requirere ad poenitentiam dolorem utcumque, sed de peccato perpetrato; ac proinde qui fit detestatio, ex dictis num. 48. nec solum requirere motivum utcumque, sed universale, in quantum est offensa Dei, ac proinde quod afferat propositum non peccandi de caetero ex dictis num. 21. & latius a num. 67. Ex quo patet non posse aliter explicari D. Thom. sensum verum, nisi ut a nobis expositum fuit num. 47. Quapropter in hoc unico D. Thom. testimonio, si bene expendatur, invenitur eadem doctrina a nobis tradita tota disputatione prima.*

78. Confirmatur. Ab eodem objecto formali, a quo procedit actus volens jus alterius illa sum servare, procedit etiam actus volens in quantum fieri potest compensare jus alterius laesum: sic apud homines eadem justitiae virtus, quae movet ad non furandum, movet etiam ad restituendum compensando furtum commissum: ergo ad eandem virtutem justitiae repertam inter creaturas, & Deum, ad quam spectat evitare laesionem divini juris, quae fieri potest per offensam contra Deum, spectabit etiam compensare injuriam contra Deum commissam, prout compensari possit, ac proinde actus, qui movetur ex honestate talis compensationis, unice spectabit ad motivum talis justitiae: ergo sumpro actu poenitentiae restrictae prout elicito ex motivo talis satisfactionis non pertinebit ad omnes virtutes universales, sed ad solam expositam virtutem justitiae.

79. Probatum secundò. Licet actus omnium reliquarum virtutum supernaturalium sint in actu exercito satisfactorii coram Deo, non eliciuntur ex motivo satisfaciendi, sed ex motivo cujuscumque peculiaris virtutis: Sic actus charitatis non elicitur ex motivo satisfaciendi, sed ex motivo bonitatis divinae: ad eum modum, quo si Petrus furatus fuisset quatuor Julios, eosque restitueret non quidem ex motivo satisfaciendi juri alterius laeso, sed ex timore supplicii, esset materialis restitutio, non verò actus justitiae, ad justitiam autem spectat non

quomocumque alterius jus compensare, sed ex motivo aut honestate compensationis: ergo sumpta poenitentia in restrictione supra exposita, pro virtute satisfactoria ex honestate compensationis, actus elicito ex tali motivo pertinebit ad justitiam; ac proinde in ordine ad similem actum, justitia ea, quae datur inter Deum, & homines, dicitur poenitentia in hac restricta significatione sumpta.

Confirmatur primò, ex communi modo loquendi, quo dicitur poenitentiam agere illum qui ex motivo compensandi injuriam Deo factam internam vel externam poenam libenter assumit; atqui iste modus loquendi unice fundari potest in hac restricta significatione; secus in significatione absoluta poenitentiae, ut constat a numer. 67. ergo Sec. Conf. secundò ex August. tom. 4. lib. de vera & falsa poenitentia cap. 8. dicente: *Poenitentia est quadam dolentis vindicta super poenitentem in se, quod dolet commississe, ubi non extendit illam ad quemcumque dolorem, sed ad dolorem ex motivo offensa compensationis; sed talis est poenitentia specialis a nobis exposita: ergo Sec. Conf. tertio ex cath. Trident. cit. de poenit. dicente: Sed id etiam ex his rebus colligi potest, quas sibi tanquam suam poenam, quem verè peccati poenitet. Primum autem hoc ei propositum est, ut peccatum aboleret, rememque animae culpam, & maculam abstergeret. Alterum est, ut pro sceleribus commissis Deum satisfaciat: quod quidem ad justitiam referri perspicuum est: nam etsi inter Deum & hominem tam longo intervallo inter se distent, aliquantulum esse justitiam constat, cujusmodi est inter Patrem & filium, inter Deum & servum: ergo si poenitentia virtus in hac restrictione sumatur, non conveniet omnibus virtutibus universalibus voluntatis, sed erit illa justitiae virtus, quae inter Deum, & creaturas reperitur. Vide n. 313.*

Respondet primò talem virtutem justitiae inter creaturas, & Deum se sola latere non esse ad constituendam virtutem poenitentiae: nam virtus poenitentia est virtus strictae sumpta: illa verò justitia non est virtus strictae, sed late sumpta, cum non sit justitia strictae, sed late sumpta. Contra tamen primò: quia ista responsio est merus verborum lus: etenim si bene expendatur iste modus respondendi, est limitatus huic modo arguendi: Petrus est albus, & est homo: sed non est albus per identitatem: ergo non est homo per identitatem. Quod sic ostenditur. Non minus sunt separabiles conceptus poenitentiae, & conceptus strictae justitiae, quam conceptus hominis, & conceptus albi: etenim ad rationem actus strictae justitiae requiritur aequalitas satisfactionis cum magnitudine offensa, & insuper quod offensus sit in ultus, & posita ea aequalitate exigat ulteriorem satisfactionem; ad conceptum verò actus strictae poenitentiae requiritur, ut constat ex Tridentino

etiam, quod sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: atqui sicut Petrus participat per identitatem conceptum formalem constitutum hominis, & non conceptum formalem constitutum albi; ita actus iustitiæ latæ à nobis assignatus participat per identitatem conceptum formalem constitutum illius doloris, & non conceptum formalem constitutum æqualitatis cum magnitudine offensæ, neque ita exigit deletionem peccati, ut Deus esset injustus, si eum actum in satisfactionem non admitteret, ut peccatum deleteret: ergo &c.

82. Contra secundò. Licet eadem virtus sit iustitiæ, & pœnitentiæ, in ordine ad constitutum iustitiæ potest, & debet dici lata, & in ordine ad constitutum pœnitentiæ potest, & debet dici stricta; Sicuti Petrus existens Romæ respectivè ad Neapolim potest, & debet dici longè distans; respectivè verò ad se ipsum non potest dici longè distans: ergo &c. Probatur antecedens: Licet satisfactio facta ab homine longè distet ab æqualitate in actu secundo eum magnitudine lethalis offensæ factæ contra Deum, & ab eo, quod Deus ita obligetur, ut non possit quin sic injustus admittere illud opus ex aliis mille titulis sibi debitum, quin admittat illud in compensationem, quod ad iustitiæ strictam requirebatur; aramen non ex eo longè distat à dolore detestativo peccati propter motivum universalem; cum sit talis dolor per identitatem; quod requiritur ad constitutum adæquatum actus rigorosæ pœnitentiæ: ergo licet secundum conceptum iustitiæ dicatur actus iustitiæ latæ, & non strictæ; secundum conceptum pœnitentiæ non potest dici actus pœnitentiæ latæ, sed strictæ. Quidquid tamen de hoc sit.

83. Contra teritiò: Actus à nobis assignatus non minus est actus pœnitentiæ, quam sit actus; ut constat ex numero superiori: sed non est actus latè, sed strictè sumptus: ergo non est actus pœnitentiæ latè, sed strictè acceptus. Contra quartò: quia hic non quærimus constitutum rigorosæ iustitiæ; sed constitutum rigorosæ pœnitentiæ. Certum enim est peccatum esse contra jus Dei, ac proinde esse injustitiam contra Deum: an autem sit lata vel stricta pertinet ad tractatum de *Iustitiâ*. Rursus certum est, quod si ille actus habeat, quod exigit Tridentinum ad actum rigorosæ pœnitentiæ, licet non sit actus rigorosæ iustitiæ; sed talis actus sive habeat, sive non habeat, quod requiritur ad rigorosam iustitiæ, de facto certò habet, quod requirit Tridentinum ad actum rigorosæ pœnitentiæ: loquimur enim de actu supernaturali, qui verè sit dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: ergo sive sit actus iustitiæ latæ, sive strictæ; erit actus non quidem latæ, sed strictæ pœnitentiæ.

84. Respondetis secundò cum plurimis Recentioribus, virtutem, pœnitentiæ in restrictione
R. P. Gorman. Theolog. Tom. I. 4

scholastica acceptæ non elicere actum doloris detestativi de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; sed actum, quo imperet alias virtutes, ut eliciant talem dolorem, ac proinde non appellari pœnitentiæ à suo actu elicitò, seu imperante, sed à suo actu imperato. Contra tamen primò: virtus pœnitentiæ in restrictione scholastica acceptæ habet motivum universale non minus, quam aliæ virtutes universales voluntatis, ut constat ex dictis à num. 64. & 76. ergo non minus potest elicere talem dolorem, quam aliæ virtutes. Quamvis hæc ratio sufficiens sit ad responsionem impugnantam; nihilominus propter utilitatem doctrinæ oportet illam magis explicare. Quapropter

85a. Contra secundò; & explicatur præcedens ratio. Qui vult efficaciter finem consequi, apponit media, quæ judicat utilia ad finem obtinendum: adeoque si ad finem obediendi Deo est utilis actus charitatis, potest virtus obedientiæ ex motivo obedientiæ imperare actum charitatis, & tunc actus Charitatis proveniet ex motivo charitatis elicitive à charitate; sed ex motivo obedientiæ proveniet imperativè ab obedientiâ. Etenim hoc modo non solum potest virtus superior imperare inferiorem, sed etiam inferior superiorem. Sic amor erga proximum potest imperare actum charitatis, aut religionis; ut si quis ob bonum aliquod proximi votum emitat, aut aliud opus hujusmodi præstet. Qua de causa cum ad hanc præbendam Deo compensationem pro peccato commisso conducat actus charitatis & aliarum virtutum, virtus pœnitentiæ ex hoc motivo quàm optimè potest imperare actus charitatis, & aliarum virtutum, utquædam facta compensatione, vel per Sacramentum pœnitentiæ in re; vel per charitatem, aut contritionem perfectam; quibus promissa est delictio peccati quoad culpam; & reatum pœnæ æternæ, desit materia compensanda quoad culpam, & pœnam æternam.

86a. Rursus cum remissa culpâ & pœnâ æternâ maneat reatus quoad pœnam temporalem in hac vel in alia vita solvendam; potest pœnitentiâ imperare pœnas internas, & externas ad pœnas istas solvendas; & compensandas; tum etiam potest imperare actus aliarum virtutum, cum omnes sint satisfactorii; ac proinde actus imperati possunt esse actus pœnitentiæ theologice sumptæ. Hoc autem non impedit, ne ipse actus imperans sit etiam actus pœnitentiæ theologice sumptæ, utpote procedens ex motivo universali offensæ Dei, siquæ evadat incompossibilis cum voluntate peccandi ex dictis num. 77. unde non dicitur actus pœnitentiæ specialis ex eo quod ipsi deficiat, constitutum actus pœnitentiæ universalis; sed quia contrahitur ad motivum formale compensationis pertinens ad pœnitentiæ specialem in restricta significatione acceptam.

87a. Si verò ille actus non procederet ex motivo compensandi hanc pœnam particularem; ita ut
Ecc e z heque

neque ex parte actus imperantis, neque ex parte actus imperati daretur dolor detestativus peccatorum cum proposito non peccandi de cætero, tunc neque pœnitentia elicitæ, neque imperata esset theologica, de qua loquimur, sed vel philosophica, vel grammaticalis, de qua n. 2. Cæterum hoc non obstat ne pœnitentia, de qua loquimur, possit elicere actum imperantem, qui sit verus dolor detestativus peccatorum cum proposito non peccandi de cætero, ut constat ex num. 84. ergo facultas ad imperandum non est impossibilis cum potentia ad elicendum actum pœnitentiæ theologice sumptum, & qui ex motivo proprio compensationis ad specialem pœnitentiæ virtutem pertineat.

88. Respondebis tertio cum aliis Recentioribus ex doctrina P. Esparzæ, virtutem pœnitentiæ ut à nobis expositam non posse dici specialem, quia virtus pœnitentiæ specialis distingui debet ab aliis virtutibus, quæ pœnitentia sunt per conceptum proprium pœnitentiæ; aliter non esset specialis in ratione pœnitentiæ; sed reliquis pœnitentiæ virtutibus communis: motivum autem Justitiæ non est proprium pœnitentiæ, cum reperitur in actu, quo iustum alteri reddimus absque detestatione peccati: Sic Petrus in ratione animalis non distinguitur à Leone, quia ratione animalis nullum prædicatum continet, quod non contineat Leo. Quapropter pœnitentia specialis erit virtus elicitiva doloris de peccato Theologico propter specialem honestatem doloris sanativi, & emendativi eiusdem peccati, sive ut ait Esparza, habitus purè delictivus peccatorum, quatenus sunt offensæ Dei. Multa displicent in hac responsione. Quapropter.

89. Contra primò: Ut virtus pœnitentiæ restrictè sumpta distingatur ab aliis pœnitentiæ virtutibus, in ratione pœnitentiæ non debet distingui per conceptum constitutivum pœnitentiæ absolute sumptæ, sed per conceptum constitutivum pœnitentiæ in restrictione exposita acceptæ, ut ex ipsi terminis notum est, & constat ex dictis num. 65. atqui ut distingatur per hunc conceptum ab aliis pœnitentiæ virtutibus, satis est, quod dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero habeatur ex motivo satisfaciendi, & compensandi peccatum perpetratum contra Deum, sive in quantum est offensæ Dei, quod habetur ex motivo Justitiæ, ut constat à num. 76. ergo &c. Contra secundò: Constitutivum & distinctivum rei sunt realiter idem: atqui ut virtus pœnitentiæ restrictè sumpta habeat suum adæquatum constitutivum, non debet addere supra rationem pœnitentiæ communem aliis pœnitentiæ virtutibus, nisi rationem specialem, quæ contrahatur ad speciem pœnitentiæ restrictè acceptæ, sive quod idem est tendentiam ex motivo compensationis, quod nulli ex aliis virtutibus convenit: ergo &c. Sic animal, si non sumatur in significatione philosophica pro solo principio sensationis, sed in vulgari,

quæ idem significare solet, ac brutum, manifestum est, non solum constitui in esse animalium ita sumpti per principium sensationis, sed etiam per principium irrationabilitatis: nec in rebus adeò notis oportet ulterius immorari.

Contra tertio: Omnes habitus per se in se comitantur in præsentia Providentiæ gratiam habituales, non solum quando conferuntur adultis, sed etiam quando infunditur parvulis, in constat ex num. 62. sed habitus ad elicendum dolorem dumtaxat delentem peccatorum non infunditur parvulis: ergo talis habitus in præsentia Providentiæ non infunditur cum gratia; ac proinde non datur talis habitus per se infusus. Probatur Min. In præsentia Providentiæ nullus infunditur habitus ad delenda sola venialia; aliter tot deberent admitti, quot sunt species peccatorum venialium; imò &c. quæ sunt species imperfectionum mortalium, quod nullus hucusque Theologus dixit, neque adversarii concedent; sed ille habitus infusus parvulis ad summum deservire potest ad delenda venialia: ergo &c. Probatur Min. quando parvulus accederet ad usum rationis, non posset elicere actum, quo deleret mortale: utrequam mortale committeret; deinde quando committeret mortale, amitteret illum habitum, utpote sine gratia non remanentem: ergo ille habitus non posset elicere actum delentem mortale, sed ad summum veniale. Videatur Eximius Doct. in Comment. artic. 2. supra quæst. 85. num. 1. ex quo.

Contra quartò: Nulla est virtus per se infusa, cujus non solum adæquatum, verum etiam primarium munus sit fugere malum operabile ad destructionem eius: sed talis est virtus ad adversariis assignata: ergo &c. Maj. est Eximii Doctoris: & Probatur. Virtus per se infusa ita est radicata in gratia, ut nunquam reperitur gratia; quin reperitur virtus per se infusa; ac proinde in quocumque statu reperitur gratia in homine expedito ad operandum poterit exercere suum munus primarium virtus per se infusa: sed gratia potest reperiri in subiecto apto ad operandum; quin subiectum illud commiserit peccatum ullum nec mortale, nec veniale, ut patet in Desipara, quæ habet gratiam eiusdem rationis cum nostra, & in parvulis, quando post Baptismum pervenit ad usum rationis: tunc enim quando primò expediti sunt ad peccandum, vel non peccandum, nulli adhuc habent peccatum, & tamen possunt exercere primarium munus virtutis, amplectendo ex motivo virtutis bonum, accedendo ad Deum; augendo gratiam, merendo gloriam: ergo &c. Confirmatur primò: Virtus non prærequirit, quod habens illam, habent suum contrarium, aliter assignari deberet: una virtus castitatis ad fugiendum malum, altera ad amplectendum bonum, & sic de aliis: ergo neque prærequirit suum contrarium ad exercendum suum munus primarium; ac proinde

potest illud primarium munus exercere amplectendo bonum, quin peccatum præextiterit; licet postquam præextiterit, possit ex eodem motivo peccatum illud detestari. Confirmatur secundo ex D. Thoma 2. 2. quæst. 79. docente esse duo inseparabilia virtutis officia declinare à malo; & facere bonum: ergo &c. Ex dictis.

§. IV.

92. **F**it primò: virtutem pœnitentiæ theologice sumptam non esse unam virtutem specialem: Ratio est, quia sunt plures species virtutum, quarum qualibet est pœnitentiæ theologice sumpta, ut constat à num. 67. Ex quibus virtutibus aliæ sunt theologice, ut Spes, & Charitas; aliæ verò morales, ut Obedientia, Justitia, Gracitudo, &c. ut constat ex numero 59. Vide à num. 95. Fit secundò: actum pœnitentiæ non solum posse elici à peccatore, sed etiam à iusto: Ratio est, quia non solum peccator, sed etiam iustus potest dolere de peccatis commissis eliciendo actum contritionis, & attritionis, & recipiendo licite, & valide sacramentum Pœnitentiæ, sed ad hoc requiritur verus actus pœnitentiæ: ergo &c. Fit tertio: virtutem specialem pœnitentiæ non dici specialem, quia non habeat motivum universale, sed quia habet motivum universale in linea justitiæ, ex qua fit compensatio ex motivo satisfaciendi, quod in communi loquendi modo venit nomine pœnitentiæ, ut constat ex numero 80. quo in sensu loquuntur Augustinus ibi citatus, & expressè S. Thomas num. 77. ex quibus sumimus restitutionis sensum: non enim est liberum unicuique illum coningere, sed ut à majoribus constitutum debemus vocis sensum exponere, & controversias instituere. Exinde.

93. **F**it quartò: Quodcumque lethale opponi motivo virtutis pœnitentiæ specialis, non minus quam motivo virtutis pœnitentiæ non specialis. Hæc autem oppositio alia est materialis, quæ virtualiter opponitur cum motivo virtutis ex dictis à num. 63. alia formalis, quæ formaliter opponitur tali motivo, ut odium Dei cum charitate, desperatio cum spe, & infidelitas cum fide. In præfenti autem Providentiæ fides solum amittitur per infidelitatem, per quam etiam amittitur spes, ut potè in fide fundata: fides enim vocatur in Scriptura: *Spei vandarum substantia verum;* amittitur etiam spes per desperationem, non autem per quodcumque lethale; bene verò reliqui habitus per se infusi, unde ea oppositio virtualis orta ex quocumque lethali non sufficit ad amittendos habitus fidei, & spei; bene verò ad amittendos aliarum virtutum habitus. Videatur Ripalda disp. 128. de *supernaturalitate*, & disput. 28. de *spe*.

94. **F**it. quintò: Actum pœnitentiæ elicitedum à peccatore non dici actum virtutis, ex eo, quod

tunc effectivè procedat à virtute: actus enim disponens ad gratiam, ut in tractatu *de iustificatione*. docent communiter nostri contra Thomistas, non potest effectivè procedere à gratia; ad quam ultimò disponit: sed dicitur actus virtutis pœnitentiæ, quia procedit ex motivo pœnitentiæ, quatenus propter motivum universale dolorosè detestatur peccatum: Deus autem, quando deficit habitus per se infusus, in peccatore supplet defectum habitus, vel per auxilia divina gratiæ, vel simul cum Omnipotentia extrinsecè applicata, ut possit eliciere virtutum actus, & se disponere ad justificationem, vel eliciendo attritionem, quæ acquirat gratiam simul cum sacramento. Acquisitâ autem gratiâ acquirat etiam habitus virtutum, tanquam potentias stables supernas, ut connaturalius possit illos actus eliciere, vel amplectendo bonum, vel simul detestando malum prius commissum. Quapropter si actus respiciat unum solum objectum formale, proveniet ab una sola virtute; si verò attingat plura objecta formalia, concurrent etiam ad illum eliciendum plures virtutes: Sic potest quis jejunare ex motivo obedientiæ, quia est dies præceptus, & ex motivo Temperantiæ, nimirum propter honestatem, quæ in actione illa relucet. Sic etiam suo modo secundum diversas rationes, quæ reperiuntur in actu peccaminoso discurrendum est quoad oppositio-nem formalem, vel contra unam, vel contra plures virtutes: Si enim formaliter sit iniustitia, & desperatio opponetur formaliter simul cum justitia, & spe, & sic de aliis juxta dictâ num. superiori.

Fit sextò: Virtutem specialem pœnitentiæ non esse theologice, sed morale: Ratio est, quia sicut fides est virtus intellectus, cum deserviat ad eliciendum assensum, quo revelati credimus, & assensus non sit actus voluntatis, sed intellectus; ita pœnitentiæ est virtus voluntatis, cum deserviat ad eliciendum actum, quo nolumus malum, aut quo volumus bonum juxta dictâ à num. 12. & actus, quo volumus, aut nolumus non sit actus intellectus, sed voluntatis. Exinde cum virtutes theologice per se infusæ pertinentes ad voluntatem sint duæ dumtaxat, Spes nimirum & Charitas; & pœnitentiæ specialis neque sit spes, neque charitas, sed justitia ex dictis à num. 76. ea de causa specialis pœnitentiæ virtus non est theologica, sed moralis. Cæterum quamvis tota ista doctrina adeò clara sit ex supra dictis, oportet præ oculis habere discrimen ex parte objecti formalis inter virtutes morales & theologicas, aliter facile posset implicari quamplurimis argumentis, ut sectione sequenti constabit. Discrimen verò consistit in eo, quod virtus moralis habet objectum suum formale ultimum pure creatum; virtus verò theologica habet pro objecto suo formali ultimato aliquid divinum.

Quapropter cum objectum formale ultimum sit illud, quod est ultimum actus resolutivum;

quàm aliud, sed omnia æquè detestatur: ergo &c.

100. Resp. concedo Maj. & nego Min. Ad prob. conc. ant. & nego Min. ad prob. dist. Maj. debet magis detestari peccatum majus, si *ly magis* significet impossibilitatem voluntatis ex vi detestationis non solum ad amplectendum minus, sed etiam impossibilitatem ad amplectendum majus concedo; Si *ly magis* significet comparationem inter minus & majus nego Maj. & distin. Min. nego conf. Ad prob. concedo Maj. & distincta Min. nego consequentiam. Ratio est, quia si voluntas detestatur peccata, prout sunt offensa Dei; non solum manet impossibilis cum voluntate committendi peccatum minus, sed etiam cum voluntate committendi peccatum majus: cum ratio illa detestandi non solum valeat ad fugiendum minus, sed etiam ad fugiendum majus, ut per se constat, & patet ex dictis à num. 67. Ista autem; & non alia est majoritas, quæ ex Florentino & Tridentino citatis ad verum actum penitentiae requiritur in detestatione.

101. Comparatio verò inter peccatum majus & minus, aut affectus voluntatis, quo ostendat non tantum fugere ab uno, quàm ab alio nullatenus requiritur, imò & fortasse non posset talis actus absque magno periculo elici. Unde si hoc intenderent authores hujus Sententiae, rem homini impossibilem ad justificationem requirerent, cum vix Theologi post longas disputationes sciant, quale sit majus, quale minus peccatum: neque homo timens mortis periculum posset in instanti contritionem elicere, cum prius deberet cogitare quot, & quanta essent sua peccata, quænam graviora, & quænam minoria; ut in excessum illum comparativum protumperet: nec peccata oblita comprehenderentur in illa generali detestatione contra firmam theologiæ principia supra exposita, contra Ecclesiæ praxim, & contra Trident. sess. 14. caps. 5. dicens: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitandi non occurrunt in universam eandem confessione inclusa esse intelliguntur.* Quapropter si contrariæ sententiæ sensus esset, quod absque comparativa peccatorum detestatione non valet elici verus penitentiae actus; nulla mihi in ea vel probabilitatis umbra appareret.

102. Objicies secundò ex Cano, Ricardo, & aliis: Licet possit elici actus veræ penitentiae sive contritionis, sive attritionis per unam detestationem ex motivo generali; attamen quando adest opportunitas cogitandi singula peccata in particulari, non potest dari actus verus penitentiae per unam detestationem; sed debent esse tot detestationes; quot sunt peccata commissa: ergo &c. Probatur antecedens: quot sunt peccata, tot sunt aversiones à Deo, & conversiones expressæ ad creaturas: ergo quando adest tempus, & opportunitas, ut sufficienter retractentur, debent esse e contrario totidem expressæ conversiones ad Deum; & aversiones à creaturis:

Confirmatur primò ex Psal. 76. tibi dicitur. *Cogitavi dies antiquos; & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spirituum meum, id est, ut legit Augustinus scrutabar spiritum meum.* Tum etiam Ezech. 18. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, & fecerit judicium, vitâ vivet, & non morietur: Sed in istis testimoniis scrutari, & judicium facere, est facere examen; & inquisitionem peccatorum ad eliciendas singulas eorum detestationes: ergo &c. Confirmatur secundò. Peccator cum convertitur, exercet munus Judicis contra se: ergo necesse est, ut omnia peccata examinèret ad eliciendum verum actum conversionis.*

103. Respondeo nego antecedens. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam: quia sicut peccator, qui per plures annos aversus fuit à Deo; & conversus ad creaturas, potest apud adversarios in uno; & indivisibili instanti averti à creaturis, & converti ad Deum; ita licet per plures actus aversus fuerit à Deo; & conversus ad creaturas; potest per eundem; & indivisibilem actum averti à creaturis, & converti ad Deum, uti fit per contritionem perfectam extra Sacramentum, & per perfectam, vel imperfectam simul cum Sacramento, quod in ipso sacramento evidenter apparet: licet enim peccator per quamcùmque aversionem à Deo demeritus fuerit gratiam sacramentis, non eget tot sacramentis, quot fuerunt aversiones; ut istæ omnes remittantur, eo quod sacramentum habeat virtutem omnium remissionem. Sic etiam actus penitentiae cum habeat virtutem ad retractandas omnes aversiones factas contra Deum; si eliciatur ex motivo generali, satis erit talis actus ad veram retractationem peccatoris; quin opus sit ea multiplicitate retractationum.

104. Ad primam confirmationem concedo Maj. & nego Min. quia ex illis testimoniis nullatenus probatur necessitas cogitandi numerum peccatorum ad ea detestanda: Si autem David, aut alii ea divisim cogitarunt, inutiliter, sanè fecerunt, cum ea consideratio deserviat ad intensius dolendum; nec aliud significant ista, & similia Scripturæ; & Patrum testimonia; quæ expendit Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 7. Etenim quando aliud significant, non loquuntur de detestatione, sed de confessione sacramentali à Christo Domino præcepta; in qua debemus omnia, & singula peccata seorsim exponere: quo in sensu loquuntur Chrysostomus & Augustinus multis in locis. Modò autem de his non controvertimus, sed de detestatione; cum autem ad veram detestationem actus penitentiae constitutivam non requiratur major actus intentio, sed præcisè quod sit dolor detestativus peccatorum commissorum cum proposito non peccandi de cætero, ut habent Florentinum & Tridentinum; idque totum reperitur in actu detestante propter generale motum omnia peccata; ut constat à num. 67.

exinde

exinde non requiruntur tot detestationes, quot fuerunt peccata commissa, sed sufficit una generalis detestatio. Ad secundam confirmationem nego antecedens: peccator enim dum conteritur, non agit contra se munus Judicis, sed rei dolentis, & sua peccata detestantis: munus enim Judicis intra Sacramentum pertinet ad Sacerdotem, & ad Deum solum extra Sacramentum.

105. Objicies tertio ex Cajetano, & aliis. Licet non requirantur, neque necessitate medii, neque præcepti non solum in lege scripta, verum neque in lege Evangelica semper, & in omni calu tot detestationes, quot fuerunt peccata commissa ad eliciendum verum actum penitentiae, attamen id requiri videtur ex præcepto ad verum actum penitentiae, quando peccator sacramentaliter confitetur: ergo non sufficit in omni casu dolor detestativus ex motivo universali ad verum actum penitentiae. Probat. ut peccator cogitet singillatim omnia peccata commissa, ut conteratur; extrat tamen præceptum, ut ea cogitet, quando vult sacramentaliter confiteri: ergo licet non extet præceptum exigens tot detestationes extra confessionem Sacramentalem, negandum non est, requiri eas ex præcepto ad verum actum penitentiae in confessione sacramentali. Confirmatur. Quando peccator memor diversorum mortalium confitetur sua peccata, si unum detestetur propter universale motivum, v. g. propter Deum summè dilectum, non eliciet verum actum penitentiae requisitum ad Sacramentum: ergo &c. Probat. antecedens: si quis in præsentia duorum honestorum virorum unum tantum honoret, videtur eo ipso alterum contemnere: ergo pariter in nostro casu.

106. Resp. nego antecedens, ad probat. con. antecedens & nego consequent. Ratio est, quia ea cogitatio, & expressio singulorum peccatorum requiritur ex singulari præcepto juxta Christi institutionem: etenim Christus Dominus instituit Sacramentum Penitentiae per modum judicii, & Sacerdotes illud administrantes reliquit ut Judices: Judices autem incognitâ causâ judicare non possunt, neque in penis injungendis servare æquitatem. Ex his Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. ait: *Colligitur oportere à penitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri: Præceptum autem circa unam materiam perperam extenditur ad aliam, præsertim quando circa aliam omnino contraria ratio militat, ut patet in nostro casu, in quo detestatio non solum debet extendi ad peccata confessa, sed ad commissa, etsi inculpabiliter oblita, cum verè sint peccata commissa, in quem finem magis conducit unica detestatio ex motivo universali, quam mille detestationes circa mille peccata, quæ memoriæ occurrunt, ut per se est evidens. Unde directè adversarii exigunt tot detestationes necessarias.*

Ad confirmationem responder primò. Etiam Doctor disput. 4. sect. 6. negando impo-
situm, nimirum posse hominem in eo calu-
testari propter motivum universale unum pec-
catum, non detestato alio. Cæterum ut quo-
stioni de voce aditus præcludamus: si adve-
ri loquantur de detestatione, quæ talis sit
maliter respectu unius peccati. Responder
nego antecedens. Ad probationem dilige-
antecedens: si honorem unum propter meo-
rum æquè conveniens alteri, est alterum con-
temnere, nego, propter motivum non conve-
niens alteri, transeat antecedens, & nego con-
sequen. Ratio est, quia quando sunt duo ho-
mines, si aliquis laudaret unum propter
nobilitatem ex paterna origine habitam, cum
motivum hujus honorationis æquè conveniret
alteri fratri, exinde planè sit honorationem unius
non esse tunc in honorem alterius. Pa-
riter in nostro casu, cum detestatio unius peccati
propter motivum universale sit ratio eodem
modo aliis conveniens ad illa detestanda, exin-
de detestatio unius peccati propter illud moti-
vum universale non est approbatio, sed virtua-
lis aliorum detestatio, ut per se patet, & constat
ex dictis à num. 67.

Objicies quartò ex Medina: detestari pro-
pter motivum universale non est sufficiens ad
virtualem detestationem aliorum: ergo neque
ad actum veræ penitentiae. Probat. antece-
dens: velle operari unum, quia est contem-
neum rationi, non est virtualiter velle operari
quidquid est rationi consentaneum: ergo neque
detestari unum propter motivum universale est
virtualiter detestari aliud. Confirmatur. Dile-
ctum velle aliquid facere, ut Petrus interamini-
am facere Petro: sic Pater potest legare Fran-
scisco centum, quia ejus filius est, quin exinde cre-
gatur cuilibet filio legare centum: sic video
Joannem, quia est mihi præsens, quin exinde
videam omnes mihi præsentem: ergo possum
etiam detestari unum peccatum, quia est mihi
Dei est, quin exinde detester omnes Dei offen-
sas.

Resp. nego antecedens. Ad prob. nego-
iam antecedens: quia licet velle aliquid par-
ticulare bonum, ut inclusum in motivo univer-
sali consentaneo rationis, si illud non volo pro-
pter motivum universale, sed propter suam par-
ticularem bonitatem, non sit virtualiter velle
quidquid consentaneum est rationi; attamen
velle illud præcisè ob generale motivum est vir-
tualiter velle alia in illo motivo inclusa: unde
dist. primam partem antecedentis: si motivum
faciendi sit generalis ratio injuriæ, nego, si sit
ratio talis injuriæ, concedo. Deinde dist. sec-
dem modo secundam partem antecedentis: Si
Pater velit legare Francisco centum, quia præ-
cisè filius ejus est, non tenetur legare centum
alteri filio, nego; si quia talis filius est, con-
cedo. Tandem tertia pars de præsentia, ut in-
quis.

quit Eximius Doctor, non venit ad rem: quia illa præsentia Petri necessaria, ut videatur, est peculiaris Petri, & non est communis omnibus visibilibus, unde consequentia nulla est, quia nos non asserimus motivum particulare inclusum in universali sufficere ad volendum virtualiter reliqua in universali contenta, sed ipsam rationem universalem propter se ipsam attactam, ut satis constat ex dictis à numero 72.

§. II.

110. **O**bjicies quintò contra secundam conclusionem ex Scoto & aliis. Virtus specialis penitentiae est illa, quæ peccator sumit vindictam contra se propter peccata commissa: ergo virtus specialis penitentiae non consistit in Justitia respiciente compensationem, quæ est species distincta Justitiæ commutativæ, sed in Justitiæ vindicativæ. Resp. dist. antecedens: quæ sumit vindictam contra se liberè, & meritorie concedo: coactè, aut necessariò, nego antecedens, & consequens. Ratio est, quia sumere ita liberè vindictam, live potius non solum liberè facere, sed pari, non est de constitutivo Justitiæ vindicativæ, quæ solum exigit libertatem ad deternendum in Judice, non in reo. Hæc autem est de constitutivo Justitiæ meritorie compensativæ, qualis est penitentia specialis in restrictione Scholastica juxta mentem D. Thom. acceptam: Quæ omnia constant ex ipso D. Thom. quæst. 85. art. 3. dicente: *Ad tertium dicendum, quod sicut est commutatio quadam in beneficiis, (cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit) ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa, vel in vitium peccatur, quod pertinet ad vindictivam Justitiæ, vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad penitentiam, quæ respicit personam peccatoris, sicut Justitiæ vindicativa personam judicis. Unde manifestum est, quod utraque sub Justitiâ commutativa continetur.*

111. **O**bjicies sextò ex Elparza; & aliis Recent. Quotiescumque datur diversum objectum formale, datur diversa virtus per se infusa ad actum ex illo objecto formali elicendum: atqui datur diversum objectum formale exclusivè præ aliis, pertinens ad penitentiam specialem, distinctum ab honestate compensationis: ergo penitentia specialis stat in tali virtute, & non in virtute respiciente compensationem. Major supponitur certa apud Theologos. Min. verò Probatur: honestas doloris sanativi, & emendativi peccati theologicæ, est objectum formale distinctum ab honestate compensationis unice pertinens ad lineam penitentiae: ergo &c. Confirmatur. Vel nulla alia virtus habet hoc objectum formale, vel aliqua alia simul habet: atqui utrolibet modo loqui placeat motivum formale assignatum convenit huic soli virtuti penitentiae exclusivè præ aliis: ergo &c. Probatur Min. si nulla alia virtus habet motivum

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

formale assignatum: ergo hæc sola illud habet; si aliqua alia dicitur illud habere, illa non est alia, sed hæc ipsa in sensu præsentis controversiæ: ergo &c.

112. **R**esp. distin. Maj. Quotiescumque datur diversum objectum formale comitans gratiam Sanctificantem in primario suo exercitio, concedo: non ita comitans, nego Maj. & distincta Min. nego consequentiam. Ad prob. distinguo antecedens: est objectum formale comitans in primario suo munere, & exercitio gratiam Sanctificantem, nego, non ita comitans, concedo antecedens, & nego conseq. Ratio est, quia omnes virtutes per se infusæ sunt comites gratiæ, ac proinde in quocumque statu ille, qui habet gratiam expeditam ad operandum, potest exercere primarium munus virtutis, ut constat ex dictis num. 91. Operari autem ad delendum peccatum commissum non ita fieri potest, ut patet in justo accedente ad usum rationis; ac proinde in hac præsentia Providentiæ tale objectum formale non potest specificare virtutem per se infusam. Quæ doctrina aded certa est apud omnes Theologos, si ab hac præsentia controversiâ, vel peritione principii præscindamus, ut vel ipsi adversarii eam concedere teneantur; quod ita demonstratio.

113. **A**ctus, quo ego assentiret objecto connexò cum actu fidei propter veritatem intrinsecam actus fidei purè creatam, diversum motivum formale est à motivo fidei, & tamen non specificat virtutem per se infusam intellectus, ex eo, quod ille habitus non posset exercere suum munus primarium in omni statu, in quo justus posset operari. Tum etiam actus, quo derestor peccatum propter peculiarem; & particularem hujus derestationis honestatem exclusivè præ aliis; diversum objectum formale habet à motivo doloris præciæ sanativi, & deletivi peccati theologicæ; & tamen apud adversarios non specificat in hac Divina Providentiâ diversam virtutem per se infusam, pro quo non est assignabilis alia, nisi ratio à nobis assignata. Unde illa major, quam ut certam supponebant adversarii, si bene expendatur, & apud ipsos, & apud omnes est omnino falsa. Hinc ad confirmationem respondeo, nullam virtutem per se infusam habere tale objectum formale; nec iuxta ordinem præsentis Divinæ Providentiæ esse assignabilem aliquam cum tali objecto formali: unde totus adversariorum discussus corrui.

114. **O**bjicies septimò instando simul solutionem ex doctrina D. Thom. quæst. 85. art. 2. ubi hæc habet: *Species habituum distinguuntur secundum species actuum: & ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem actum virtutis. Manifestum est autem, quod in penitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa; quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere, quod penitentia est specialis virtus: Sed in hoc testimonio assignatur pro objecto*

FFF

for

formali virtutis penitentiae objectum formale actus non potest elici absq; praesupposito peccato: ergo ad virtutem per se infusam non requiritur, quod possit exercere suum munus primum non praesupposito peccato. Confirmatur ex Ecclesia dicente: *Deus qui culpam offendit, penitentiam placat*: sed objectum huius penitentiae, quae Deus placatur praesupponit peccatum: ergo virtus specialis penitentiae ad suum munus primum exercendum praesupponit peccatum.

115. Resp. concedo Major. & nego Min. quia D. Thom. solum dicit, operari ad destructionem peccati in quantum est offensa Dei, esse actum laudabilem arguentem virtutem per se infusam. Quomodo autem, vel quale debeat esse motivum talis actus, hic non explicat: declarat autem illud, & quidem perspicue sequenti art. 3. ubi dicit esse honestatem compensationis, ut constat ex verbis Angelici Praeceptoris citatis num. 76. Ea autem honestas compensationis fit ex motivo illius iustitiae, quae extat inter Deum, & creaturas, ut ibidem explicat D. Th. iustitia vero operari potest non praesupposito peccato, dando quod Deo debetur, ne ipse offendatur; ex quo testimonio clare inferitur mens D. Th. pro multiplicitate habituum, cum recurat ad quaerendum objectum formale, circa quod exerceri potest virtus non praesupposito peccato, prout exigunt leges praesentis Divinae Providentiae. Quapropter si ita non se habeant actus laudabiles, non arguent multipliciter virtutum per se infusarum, ut ostendimus num. 113. Ad confirmationem concedo Major. & nego Minor. Quia licet actus supponat peccatum, virtus illud non supponit; Sic actus compensativus furti ob motivum iustitiae supponit peccatum, & tamen iustitia virtus illud non supponit ad suum munus primum exercendum, ut late constat ex dictis.

116. Objicies octavo instando iterum solutionem: Multo difficilius est hominem liberari a peccato commisso, quam praecise elicere actum adimpletivum Divinae legis, quo peccatum non committat: ergo si actus adimpletivus Divinae legis specificat habitum per se infusum cum suo munere primario; ita actus emendativus peccati commissi specificabit suum habitum cum munere primario emendandi peccatum. Confirmatur primo: Virtus Perseverantiae ex eo est distinctus habitus per se infusus a reliquis virtutibus, quia perseverare affert secum majorem difficultatem, quam praecise primum virtutis actum elicere; sed etiam affert distinctam difficultatem retractare peccatum ab ea, quam afferebat elicere actum bonum, quo peccatum impeditur: ergo &c.

117. Confirmatur secundo. Virtus perseverantiae non potest exercere suum munus primum statim, atque homo habet gratiam, & expeditus est ad operandum: praerequit enim elicentiam actuum aliarum virtutum tempore praecedentium; sed hoc non obstat, ne sit virtus

per se infusa: ergo licet habitus praesentis emendativus peccatorum, sive specialis penitentiae virtus exclusivè praesentis, non possit exercere suum munus primum statim, atque iustus expeditus est ad operandum, hoc non obstat, ne sit habitus per se infusus. Confirmatur tertio: Virtus iustitiae vindicativae est apud omnes Theologos vera virtus, & non minus per se infusa, quam aliae virtutes morales in sententia eorum, qui tales virtutes per se infusas admittunt: atqui non potest elicere suum actum primum, nisi praesupposito peccato: ergo &c.

Resp. omitto antec. & nego conseq. Ratio est, quia virtutes per se infusae, ut constat ex dictis a num. 6. non multiplicatur ad multiplicationem majoris, aut minoris difficultatis; aliter ad credendum Mysterium Trinitatis deberet dari diversa virtus Fidei ab illa, quae creditur existentiam unius Dei; sed multiplicatur ad multiplicationem diversi objecti formalis gratiam in hac divina Providentia committens: Cum autem habitus penitentiae, qui ex munere primario solum deservit ad elicendum actum destructivum, & emendativum peccati commissi propter honestatem talis destructionis, & deletionis, non respiceret objectum formale ita committens in suo exercitio quantum habituale, exinde talis habitus per se infusus alienus est ab ordinatione praesentis Divinae Providentiae. Dixi, omitto antecedens: nam absolute est omnino falsum: quia ad delendum in hac divina Providentia peccatum, solum requiritur ponere id, cui Deus remissionem peccati promittit, nimirum vel contritionem peccati, vel attritionem simul cum Sacramento; Erubescit planè non est difficilius, quam sit elicere contritionem, quando tenemur illam elicere, vel attritionem recipiendo Sacramentum, quando ex praeccepto tenemur sacramentaliter committi ad non peccandum.

Ad primam confirmationem, nego suppositum Maj. nam ad perseverandum non datur habitus per se infusus distinctus a virtutibus, quae primos actus elicuerunt: eadem enim virtus Charitatis (idem suo modo de religione) quae fecit primum charitatis actum valet elicere secundum, & tertium, ac proinde & actum perseverantiae: Neque debebant considerari adversarii duo toto caelo directi: homo enim attendit illius fragilitate, & instabilitate, tum etiam & occasibus circumstantibus ad malum allicientibus, non rem sanè habet difficultatem ad perseverandum; quam ad primum virtutis actum elicendum; ac proinde ne virtutem habeat otiosam, & ad alia declinans decidat, & ex prava sua operatione gratiam, & habitum virtutis amittat, eget speciali gratia auxiliante, à qua provenit magnum illud Perseverantiae donum, ut sciunt omnes, qui legunt Tridentinum sess. 6. can. 21. dicens:

Si quis dixerit *Justificatum*, vel sine speciali auxilio Dei in accepta *Justitia* perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. Unde licet auxilia sint diversa, virtus per se infusa non est diversa, sed eadem, & quæ potest suum primarium munus exercere statim, atque homo justificatus expeditus est ad operandum. Hinc

20. Ad secundam confirm. nego Maj. quia licet non denominetur Perseverantia à primo actu, sed à subsequentibus, potest ante actum sublequentem exercere suum munus primarium. Videatur Eximius Doctor lib. 10. de gratia cap. 8. Ad tertiam confirm. concedo Maj. & nego Min. Ratio est, quia ut ait Exim. Doct. citat. n. 90. *Justitia* vindicativa inter creaturam & Deum, quæ creatura voluntariè se punit in compensationem peccati, non distinguitur à *Justitia* commutativa, sive lata, sive stricta, ac proinde primarium hujus virtutis munus non præsupponit peccatum. Quapropter idem suo modo dicendum est de *Justitia* vindicativa inter homines. Quenam autem hæc sit, controvertitur in tractatu de *Justitia*, & Jure. Addit autem in præfati Exim. Doct. fortasse etiam inter homines *justitiam* vindicativam, prout servat æqualitatem commutativam, non esse distinctam à communi virtute *Justitiæ* commutativæ, licet fortasse addere possit imperium *justitiæ* legalis, de quo aliam. Ex quo fit, hanc sicut, & alias virtutes per se infusas, ita habere suum primarium exercitium, ut nullo præsupposito peccato exerceri possit: sic *Justitia* apud homines exerceri potest dando quod cuique convenit, licet secundum diversos actus diversas sortiatur denominationes: sic in ordine ad legem observandam dicitur legalis, & in ordine ad penam, quam reo infligit Jux, dicitur vindicativa. Imò licet Jux non posset exercere illam virtutem, quin præsupponeretur peccatum Rei, nihil exinde obtinerent ad suum intentum adversarii, cum peccatum commissum à reo non excludat gratiam, & virtutem in Juce, sicut excludit in ipso peccatore.

21. Objicies nonò ex Card. de Lugo. Offensa contra Deum non assert ex conceptu suo formali offensæ injuriam Dei: ergo specialis penitentia virtus non stat in *Justitia* compensativa offensæ Dei: Probatur antecedens: offensæ unius hominis contra alium non assert ex conceptu suo formali injuriam alterius: ergo neque offensæ contra Deum assert ex conceptu suo formali injuriam Dei. Probatur antecedens: si amicus petat à me librum commodatum, quo ipse valde indiget, & quem ego sine incommodo possum commodare, & tamen nolo id facere, procul dubio offendo amicum, & do sufficiens fundamentum, ut rationabiliter avertatur à me, sed non facio illi injuriam, cum nullum jus habeat in librum meum: ergo &c. Confirmatur: Si ab amico furaret librum, aut vestem, non solum facerem injuriam, sed offensam distinctam ab illa injuria furti: illa enim

furti injuria omnino cessaret restituito postea libro, vel veste; adhuc tamen maneret in æstimatione prudentum sufficiens fundamentum, ut ille maneret averfus, donec illi etiam pro offensa satisfacerem: ergo &c.

Resp. primò nego antecedens. Ad prob. nego antecedens. Ad prob. dist. Maj. procul dubio offendo amicum, faciendo illud in circumstantiis, in quibus appareret aliquale vilipendium, inhonoratio amici, aut quid simile, conc. aliter nego Maj. & dist. Min. nego conseq. Ratio est, quia dominium proprietatis pertinens ad *Justitiam* contrapositè ad dominium jurisdictionis pertinens ad obedientiam, respicit omnia bona propria Domini, scilicet divitias, honorem, famam, auctoritatem, & id genus alia. Quapropter actio contra honorem alterius est læsio juris proprietatis, quod repetitur in altero, ac proinde quæcumque sit inhonoratio amici, est amici offensæ, & injuria. Unde si apud homines illa negario libri reputaretur vilipendium, aut quid simile, esset offensæ & injuria amici, & teneretur alter juxta inhonoratiois qualitatem pro illa satisfactionem dare amico. Quapropter si contra nullum jus amici esset, non esset illius offensæ.

Ad confirm. conc. antec. & nego conseq. Duplex enim est offensæ, ut explicant Theologi in tract. de peccatis, & perperam adversarius in præfati confundit: alia quippe est realis, & alta personalis. Offensæ realis stat in materia li rei entitate ablata domino: Sic qui à Petro furatur equum, facit offensam realem, & ablatio equi dicitur offensæ realis, quæ solum mensuratur ad mensuram rei ablata, adeoque restituito equo cessat offensæ realis. Alia est offensæ personalis, quæ est inhonoratio personæ offensæ, & crescit geometricè ad incrementum dignitatis personæ offensæ, & hæc in præfati consideratur à Theologis: Dicitur enim offensæ theologica, pro ut est contra Deum; quod accuratè prænotavit D. Thom. cit. num. 76. dicens, quòd penitentis dolet de peccato commisso, in quantum est offensæ Dei, cujus compensationem intendit specialis penitentia virtus. Hæc autem omnia respiciunt jus proprietatis Dei, sicut apud adversarios, & omnes Theologos jus jurisdictionis est bonum proprietatis superioris distinctum ab aliis, quia hoc est tale ad imperandum, & non alia proprietatis bona; Unde quævis offensæ est contra verum jus offensæ. Deus autem, quidquid sit apud homines, dimittit offensæ personali, offensam realem etiam dimittit; ac proinde compensatio unius ex Divina ordinatione est compensatio alterius. Ex quibus apparet absque gravi fundamento discessisse adversarium à communi sententia Theologorum. Verum neque indigemus his principiis quantumvis veris ad argumenti solutionem. Quapropter

Resp. secundò: omitto antec. cum suis probationibus, & nego conseq. Ad probationem, omittis etiam præmissis nego conseq. Ratiõ

Ratio est, quia siue omnia peccata sint stricta injuria contra Deum, siue non, adedque sint contra strictam justitiam, siue non, certum est, esse Dei offensam, ac proinde contra jus Divinum siue latè, siue strictè sumptum, contra quamcunque virtutem opponantur. Propterea si sit offensa levis, potest Deus ex jure suo peccatorem punire, & si sit offensa gravis, non solum punire, verum etiam concipere rationabiliter averisionem adversus peccatorem, donec offensa remittatur. Cum autem ad remissionem illius destinaverit Deus compensationem per actum penitentiae, quae sit perfecta contritio extra Sacramentum, vel attritio cum Sacramento, & sic de aliis operibus meritoriis, & satisfactoriis, virtus compensativa tendere potest ad ponendam compensationem offensae, quam exigit illud jus, in quo stat ratio justitiae illius, quae intercedit inter Creaturam, & Deum. Compensatio autem potest esse, vel praeservativa, quando apponitur, quod exigit jus Dei, ne offendatur, nimirum quando apponitur res praecipua; vel reparativa, quando apponitur, quod destinavit Deus, ut offensa facta remittatur, nempe satisfactio ab ipso designata. Cum autem satisfacere, siue praeservativè, siue reparativè, sit munus justitiae, ea de causa haec penitentia specialis est virtus justitiae.

125. Quare si ex hac virtute justitiae eliciatur actus penitentiae, qui sit contritio perfecta, erit compensatio, quam & jure suo exigit Deus extra Sacramentum ad remittendum peccatum quoad culpam, & poenam aeternam. Eodem modo dicendum de attritione cum Sacramento. Ad satisfaciendum verò pro temporali poena, quae non sit remissa, admittit Deus reliquos supernaturales virtutum actus, siue à penitentia elicitos, siue ab ipsa imperatos ex dictis num. 85. Cum autem totum hoc procedat à justitia, siue eliciente, siue imperante, quando sit ex motivo compensationis pertinet ad justitiam: licet enim idem peccatum secundum diversas formalitates possit opponi diversis virtutibus, ut sacrilegium justitiae, & religioni, adulterium temperantiae, & justitiae, & sic de aliis, ex eo, quod Deus postea compensatione ab ipso misericorditer ordinata remittat totum peccatum, pro quo nulla Creatura de condigno satisfacere poterat; exinde apparet clarum, quomodo tota compensatio à justitia procedat. Hic autem est legitimus Tridentini sensus sess. 14. cap. 2. *De Sacramento Penitentiae* dicentis: *Alius est praeterea Baptismi, & alius penitentiae fructus: per Baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficitur Creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Penitentiae sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia pervenire nequaquam possumus. Expendantur illa verba divina exigente justitia, & apparebit universa doctrina postea summissimè roborata.*

Objicies decimò. Habitus compensativus justitiae non potest intendere compensationem seu satisfactionem aequalem pro peccato, cum ipsa sit impossibilis creaturae; deinde non potest intendere inaequalem: ergo nullam. Probatur secunda pars antecedentis. Sicut est honestum velle satisfactionem aequalem, in est inhonestum velle inaequalem, est enim penitentia ac nolle satisfacere: ergo &c. Resp. distinguendo secundam partem antecedentis: non potest intendere inaequalem, quia inaequalem, concedo: quia haec, & non alia est possibilis creaturae: imò & quia haec est à Deo pro peccati remissione destinata; nego antecedens. Ad prob. dist. antecedens: est inhonestum velle inaequalem, quia inaequalem, concedo: quia à Deo destinata pro remissione peccatorum, & prout non est alia possibilis creaturae, nego antec. & conseq. Ratio est, quia sicut est ratio rationali disforme, ac proinde inhonestum, quod creatura potens dare satisfactionem aequalem, nolit dare nisi inaequalem; ita est naturale rationali conforme, ac proinde honestum, quod creatura non potens dare satisfactionem aequalem, sed inaequalem à Deo destinata, velit dare. Cum autem ad hoc tendat specialis penitentia virtus, siue habitus compensativus, est honesta illius tendencia.

Objicies undecimò. Si specialis penitentiae virtus intenderet compensationem juris divini offensi, prout à nobis explicatur, non esset virtus moralis, sed theologica: sed virtus justitiae, quae inter Deum, & creaturam intercedit non est theologica, sed moralis: ergo &c. Maj. prob. Si ita intenderet compensationem juris offensi, eo ipso nollet Deum esse offensum: sed nolle Deum esse offensum est amare bonum Dei, quod spectat ad charitatem: ergo &c. Hoc argumentum putat esse difficillimum Card. de Lugo, praesertim propter paritatem virtutis spei, ut infra constabit: Non parum molestum foretur Arriaga: nec diffiteor difficillimum esse in eorum principiis. Est autem facile à nobis solubile ex principiis positis à num. 96. ex quibus

Resp. nego Maj. Ad prob. dist. Maj. Nolle Deum esse offensum, quatenus Deum non esse offensum est bonum Deo, nego: quatenus est bonum penitenti, concedo Maj. & dist. Maj. est amare bonum Dei, quia bonum Deo, nego Min. quia penitenti bonum, concedo Minor. & nego conseq. Ratio est, quia amare bonum alterius, non quia alteri, sed quia multum bonum, potius est amare me, quam amare alterum: ad charitatem autem, quae est virtus theologica, attinet amare bonum Dei, quia bonum Deo, & odio prosequi offensam Dei, quia Deo malam. Ad justitiam verò, quae est virtus moralis, attinet amare bonum compensationis, & illationis juris Dei, non quia Deo bonum, sed quia satisfaciendi bonum. Sic quando vult quis satisfactionem facere inimico, quae illi est bona, ex eo non amat illum, quia non vult eum

atisfactionem, ut illi bonam, sed ut bonam satisfaciendi ex num. 98.

Obijcies duodecimò instando solutionem. Spes est virtus theologica, sed solum habet pro objecto formali bonitatem visionis terminatam ad Deum: ergo ex eo, quod specialis penitentia virtus habeat pro objecto formali bonitatem compensationis terminatam ad Deum, erit virtus theologica. Respondéo, concedo Maj. & nego Min. quia Spes theologica habet pro objecto Beatitudinem concretè sumptam constitutam ex formali, & objectiva; scilicet ex ipso Deo possessio, & ejus possessione; quod concretum desideratur, & speratur per actum spei theologice, ac proinde habet pro objecto formali aliquid divinum. Tum etiam habet pro objecto alia prædicata divina, ut condonationem peccatorum, & alia hujusmodi, ut dicitur in tract. *De spe*. Imò actus spei, cum non solum includat formalitatem desiderii, sed etiam fiduciam; habet secundum hanc formalitatem pro objecto formali ultimato Deum auxiliatorem ex dictis num. 96. Unde licet non induceret rationem theologice virtutis à formalitate desiderii, prout desiderat beatitudinem concretè sumptam ut speranti bonam, illam plane inducit propter formalitatem fiducie, quæ verè innititur Deo ut auxiliatori. Specialis autem justitiæ virtus solum exigit compensationem propter compensationis honestatem, quam amare possum, quia per illum actum amem Deum, ut constat ex numero Superiori. Etenim non amo compensationem, quatenus per illam sum possessurus immediatè Deum, sed præcisè illam amo propter se ipsam, quia ipsa mihi bona est.

§. III.

Obijcies decimò tertio instando iterum solutionem: Eatenus penitens amat compensationem peccati, quatenus intendit peccati ablationem: atqui ablatio peccati non solum dicit honestatem compensationis, sed etiam divinam condonationem: ergo penitentia non solum habet pro objecto formali honestatem compensationis, sed etiam bonitatem Divinæ condonationis, ac proinde erit virtus theologica non minus, quam spes. Confirmatur primò. Jus Dei eatenus se habet respectivè ad creaturas, quatenus materia prima respectivè ad formas, & sicut ignis respectivè ad combustionem ligni. Si enim materia prima non habet dispositiones ad formam ignis, non exigit formam ignis; & si ignis non sit approximatus ligno, non exigit id comburere. Pariter si non detur præceptum Dei, non exigit jus Divinum compensationem præservativam, ne lædatur, bene verò posito præcepto, cum tunc lædatur, si non apponatur res præcepta: tum etiam si non detur peccatum, non exigit compensationem reparativam, bene verò posito peccato: ergo compensatio reparativa, quæ intenditur à peni-

tentia, formalitè respicit deletionem peccati, ac proinde & divinam condonationem, quæ est formalis deletio peccati. Confirmatur secundò: penitentia non potest intendere, quod peccatum præteritum non sit præteritum, sed solum quod peccatum præteritum non sit conditio, aut terminus, quo præsupposito jus divinum exigat, quod Deus concipiat aversionem contra peccatorem, eumque puniat. Sed hoc est formalitè velle divinam condonationem: ergo &c.

Resp. dist. Maj. quatenus intendit peccati ablationem, ita ut ablatio, & condonatio peccati sit motivum actus spei præcedentis actum penitentia, concedo: ita ut sit motivum actus penitentia, nego Major. & dist. Minor. dicit divinam condonationem, secundum quod dicit pro formali remissionem peccatorum, quam spectat penitens, concedo: secundum quod dicit pro honestate actus compensativi eliciti, & imperati à penitentia, nego Major. & consequ. Ad primam confirmationem, concedo antecedens, & dist. consequ. eodem pacto, quo supra. Ad secundam confirmationem, nego Major. nam virtus specialis penitentia solum intendit honestatem actus, quatenus compensativam ex ordinatione divina juris Dei offensa, licet ad illum elicendum, aut imperandum præcedat spes remissionis peccati, & alia dispositiones assignatæ à Tridentino sess. 6. cap. 6. quas propter utilitatem doctrinæ, & solidam nostræ explanationis solutionem, breviter insinuabo.

Peccator enim ante actum penitentia cognoscit per fidem ea, quæ divinitus promissa sunt in ordine ad remittendum peccatum, nempe deletionem peccati, si facti peniteat. Exinde timens divinam justitiam, advertit penitentiam esse necessariam in hac divina Providentia ad remissionem peccati, eamque cum auxilio, quod Deus offert, posse liberè elici à peccatore. Tunc concipit spem remissionis, sicque imperat actum penitentia. Unde licet actus spei imperans habeat pro objecto divinam condonationem, quam amat, adeoque sit amor Dei, actus penitentia imperatus non habet pro objecto formali divinam condonationem, sed honestatem, in quam tendit, ut divini juris compensativam: valde namque diversum est, prærequiri eos actus ad penitentiam elicendam, aut ea prærequisita esse objectum formale actus penitentia. Præcedunt quippe aut formalitè, aut virtualitè, ut docent Theologi in tractatu *De justificatione*, actus fidei, actus timoris, actus spei, sive dilectionis Dei: Sed actus subsequens penitentiam non habet pro objecto formali objecta eorum actuum præcedentium, ut patet ex dictis à num. 93. Si autem aliquando idem actus habeat motiva plurium virtutum, non ab una, sed à pluribus elicetur.

Quapropter Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. loquens de peccatoris præparatione ad justificationem doctrinam nostram per hæc

verba proponit: *Disponantur autem ad ipsam justificationem, dum excitati divina gratia, & adjuvi fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud in primis, justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divina justitia timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi per Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitia fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Exinde si peccator imperet poenitentiam sufficientem ad justificationem extra Sacramentum, necesse est, ut imperet contritionem perfectam, quae est ultima dispositio ad gratiam. Si autem tendat in actum poenitentiae ex motivo compensationis, erit actus poenitentiae specialis; si verò ex alio motivo, erit actus poenitentiae universaliter, & theologicè sumptae, ut ex dictis tota sectione praecedenti constat.

134. Objicies decimoquarto: actus poenitentiae vult compensationem facere, non quidem hominibus, sed Deo pro offensa commissa: sed hoc ipso habet Deum pro objecto formali; adeoque compensationis actus est Theologicus: ergo. Probatur Major. Ex eo quòd velit facere compensationem Deo, compensatio respicit Deum tanquam objectum cui; sed non potest respicere Deum tanquam objectum cui, quin illud habeat tanquam objectum formale: ergo &c. Probatur Minor. actus, quo volo Petro bonum, quia ipsi bonum, habet pro objecto formali bonitatem Petri: sed non ex alia causa, nisi quia respicit Petrum ut objectum cui: ergo &c.

135. Respondeo distingo Major. sed Deo praesupposito, ut creditori, conced. representato ut bono amabili nego Major. Minor. & consequen. Ad probationem, dist. Major. tanquam objectum cui praesuppositum ut creditorem, conced. representatum ut bonum amabile, nego Major. & distincta Minor. nego consequen. Ratio est, quia creditor est ille, cui aliquid debetur, adeoque res illa, qua debitum solvitur, habet in se suam bonitatem compensativam, quae est totum illud bonum amabile, quod proponitur ad imperandum actum compensativum. Unde ille, cui debitum solvitur, non proponitur ut bonum amabile ad talem actum eliciendum, sed pure ut terminus cui, sive obliquum objecti formalis: purus autem terminus cui, sive obliquum objecti formalis non est objectum formale illius actus amoris: objectum quidem formale est illa bonitas movens ad amorem, quae est distincta ab ipso creditore. Sic quando volo solvere centum, quae debeo inimico, objectum formale est bonitas relucens in ea compensatione: inimicus autem est purus terminus cui, sive obliquum talis objecti formalis,

proponitur enim ut creditor, & non ut bonum amabile ad eliciendum talem actum.

Quare Religio non est virtus theologica, sed moralis; quia solum respicit Deum ut creditorem in ordine ad cultum, quem debemus prestare Deo, adeoque bonitatem relucens in cultu respicit ut objectum formale. E contra verò contingit, quando volo Petro bonum, quia ipsi bonum, tunc enim bonitas Petri proponitur ut objectum formale talis actus: impletur enim in ipsi terminis, quòd aliquod objectum proponatur ut bonum amabile movens ad actum, quin sit objectum formale amatum per ipsum actum. Sic repugnat, quòd sanitas proponatur mihi ut bonum amabile movens ad commendam medicinam, quin actus, quo volo medicinam, non attingat ut objectum formale amatum sanitatem. Ex qua regula inferes praetera principia ad dignoscenda varia objectiva mala voluntatis.

Objicies decimoquinto: in tantum peccat quis contra justitiam, & potest elicere actum compensativum propter honestatem compensationis, in quantum per illam actionem laeditur jus, vel dominium alterius: atqui jus, vel dominium Dei laedi à Creatura non potest: ergo &c. Confirmatur primo: jus proprietatis Dei est perfectissimum; sed si laedi possit, non esset perfectissimum: perfectissimum enim est illud jus, quod laedi non potest: ergo non potest dari virtus ad jus illud non laedendum, sed laesum resarciendum, magis quam callus, sed virtus ad reprimendum motus inhonestus in Angelo. Confirmatur secundo: si darentur talis justitia inter creaturam, & Deum, qui equum alteri injustè abstulisset injustus esset non solum in Dominum equi, sed etiam contra Deum, & deficiente Domino equi teneretur eum restituere Deo, ac proinde commisso quocumque peccato, statim teneretur peccator poenitere, ac in humanis teneretur statim restituere, ubi commode potest. Confirmatur tertio, si quis, & volenti non sit injuria, quam quidem nullus patitur nisi iniustus: ergo neque sit injuria Deo scienti, & non impediendi, cum possit, hoc autem interpretativè, & moraliter est contentum in actionem illam.

Resp. dist. Major. in quantum laeditur jus, vel illud diminuendo, vel utendo, aut non utendo rebus Domini invito Domino, conced. sed solum diminuendo jus, nego Major. & distincta Minor. nego consequen. Ratio est, quia cum jus Dei sit in ordine ad actus nostros liberos, & consequen. in ordine ad eos, qui possunt à nobis poni, & non poni, quando exiguntur; si quando exiguntur, non ponantur, licet non laedatur jus Dei, diminuendo jus, cum in se sit inamabile, laeditur tamen non ponendo rem in vito Domino, ad quam ex jure tenemur, ac proinde committitur injustitia. Ad primam confirmationem, concedo Major. & distincta ut supra Minor. nego consequen. quia de ratione perfectissimi domini moralis non est, quòd non possit per se

ab aliquo impediti in usu suarum rerum, sed solum quod habeat quis potestatem moralem aliquid exigendi tanquam suum, ita ut sine injuria negari ei non possit; alioquin non esset dominium morale perfectissimum, cum non esset dominium in actione creatas libera.

39. Ad secundam confirmationem, concedo antecedens, & nego consequens, quia Dominium est potestas utendi re aliqua: cum autem Deus semper habeat potestatem utendi equo, prout voluerit, sub cujuscumque sit potestate, non indiget ea restitutione, quia indiget homo. Imò satis ostendit Deus in scripturis, se nolle eo modo satisfactionem sibi fieri, quo hominibus, quibus bona ablata restitui debent, sed solum perit sibi satisfieri per veram poenitentiam. Quare qui peccavit contra Deum, non eliciendo actum charitatis, aut obedientiae, non tenetur postea elicere alium actum charitatis, aut obedientiae, ut ex fidelium praxi; & communi omnium sensu constat. Ex quo generalis ratio justitiae transcendens omnia peccata non obligat erga Deum ad hanc restitutionem offensae realis; neque opus est eam in confessione explicare, cum jam comprehendatur sub quocumque peccato, sicut generalis ratio inobedientiae erga Deum.

40. Si autem contineret non solum eam generalem rationem, sed insuper peculiarem in justitia v. g. si quis Deum infamaret, falsam de eo doctrinam spargens, & esset periculum, ne latius seperet, ex communi fidelium sensu deberet eam statim revocare, & errorem illum ex hominum mentibus, quibus ipsum inseruerat, colere; illudque peccatum in confessione aperire. Satis enim ex hoc communi fidelium sensu inferitur, Deum huic juri non cessasse, neque restitutionem ad aliud tempus prolongasse. Ex quo magno discrimine inter Deum, & homines tenet communis hodie Theologorum Sententia apud Eximium Doctorem disp. 15. De poenitentia sect. 5. Tannerum disp. 6. quaest. 6. dub. 3. Carleton disp. 43. sect. 5. & alios non obligari creaturam statim post peccatum admissum Deo pro illa injuria satisfacere, quia homines rebus suis spoliati non possunt, per se loquendo, eam independentiam habere ab aliis, quam si res suas retinerent: ideoque ad inopiam redacti, facilius contemnuntur, & vilipenduntur. Deus autem eam semper habet independentiam, nec omnia peccata provocant ad contemptum. Quare restitutio apud homines statim obligat; apud Deum verò ea solum, quae peculiariter Dei contemptum, aut similem titulum haberet: de reliquis permittit hominibus compensationem pro tempore longiori, ut dicemus, cum agemus de praecipio poenitentiae.

41. Ad tertiam confirmationem distinguo antecedens: scienti, & volenti non retinere jus, cui potest cedere, concedo, scienti & volenti retinere jus, nego antecedens & consequens. Ratio est, quia stante voluntate, qua Dominus vult retinere jus ad rem suam, & omnes illius usus, facit

injuriam alteri, qui invito Domino re illa utitur. Talis autem voluntas praesumitur stare, donec non innoscat Dominum cedere juri suo. Qua de causa voluntas, qua cedit, dicitur voluntas signi contradistincta à voluntate non significativa cessionis: Recta enim ratio dicitur, non esse utendum re aliena, nisi de licentia Domini, quae per expositam voluntatem signi conceditur, non verò per puram voluntatem non impediendi, etiam cum commodè possit. Sic qui furem videns auferentem rem suam, non prohibet, patitur injuriam, & datur ei juxta leges actio in furem, eumque de injuria postulare poterit.

Sic etiam, dum quis patienter fert alterum, qui eum conviciis lacerat, & infamat, quem tamen corrivere, & impedire potest, non propterea liberatur infamans à peccato injustitiae, nec ab obligatione satisfaciendi, & famam restituendi. Sic injuriam maximam intulere martyribus Tyranni, esto illi libenti animo passi sint, se torqueri, & occidi. Nec sufficit ad cedendum praecisa traditio Physica rei suae in circumstantiis, in quibus rectè praesumitur nolle Dominum juri suo cedere, ut patet in solvente usuris, cui in hoc fit injura, & usurarius tenetur ad restitutionem. Quare sine voluntate signi à nobis exposita non fit cessio, aut translatio juris. Exinde cum voluntas Domini nolit cedere juri suo, ne offendatur, licet peccata permittat, non sufficit permissio, ne peccatum sit offensiva Dei. Caeterum de his latius agemus in tractatu De justitia. Haec autem satis sunt ad solutionem praesentis difficultatis. Ex dictis

§. IV.

142. **F**it primò: non posse remitti offensam pro iplo instanti, pro quo committitur. Ratio est, quia in instanti, in quo committitur offensiva est contra voluntatem offensi illam prohibentem, ac proinde contra ipsius jus satis manifestatum: adeoque repugnat, quòd pro eo instanti daretur voluntas signi cessiva illius juris: daretur enim in illo instanti jus offensi, adeoque daretur, & non daretur offensiva, quod ex ipsis terminis implicat, ut per se patet. Unde solum potest dari in illo instanti voluntas signi, quae offensiva ostendat, quòd pro signo sequenti desisteret ab illa voluntate, & cederet juri offensi, quo offensiva destrueretur, & remitteretur. Sic in instanti, in quo Deus vult efficaciter producere Petrum, non potest simul velle illum non producere, licet possit in illo instanti elicere voluntatem destruendi Petrum, vel illum non conservandi in instanti sequenti. Scio plures Recentiores in hac quaestione plurimum immorari, sed opus non est tempus impendere in re, quae ex principiis nostris adeo clarè deducitur, & quae nullam afferret utilitatem, nec doctrinam ultra principia à nobis exposita. An verò remissio divinae offensivae possit fieri non solum per formam intrinsecam, sed etiam per extrinsecam condonationem, solet hic exagitari. Caeterum quia anno proximo elapso tradita, & resoluta solidè, & ingenicè

fuit

fuit in tractatu De gratia, libenter illam omitto.

144.

Fit secundò, pro instanti, pro quo committitur offensa gravis Dei, dari verum jus ad inimicitiam inter Creaturam, & Deum. Ratio est, quia pro eo instanti datur vera offensa Dei, sive justitiæ strictæ, sive latæ opponatur: gravis autem offensa Dei, quandiu durat, indispensabiliter affert verum jus ad inimicitiam inter creaturam, & Deum: nequit enim Deus pro instanti, in quo durat illa offensa, eam non reprobare, ut legis suæ graviter transgressivam, ac proinde nequit non reprobare graviter causam per se illius actionis elicitivam, ex qua necessaria gravi reprobatione oritur necessaria gravis displicentia. Insuper actus ipse offensæ præfert creaturam creatori, & complacentiam creaturæ displicentiæ creatoris. Quibus positis existat in Supremo Domino verum jus ad inimicitiam, dixi in Supremo Domino; nam hoc jus ad inimicitiam non extat in Creaturâ offensa, utpote Creaturâ subjectâ est Deo ut Domino, qui inter viatores talem prohibet inimicitiam, præcipiens, ne odio habeamus inimicos, sed ut illos diligamus, & ipsi, qui est per essentiam Judex, reservemus vindictam ex illo ad Rom. 12. *nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes, non vos metipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: mihi vindictam, & ego retribuam: dicit Dominus.* Hinc

145.

Fit tertio: offensam facti, & jus offensi esse metaphysicè inseparabilia. Ratio est, quia offensa facti stat in actione, quæ fit contra jus alterius nolentis tali juri cedere, imò prohibentis, ne fiat contra jus suum. Cæterum si non esset contra jus illius, jam non esset illius offensa: atqui est metaphysicè impossibile, quod actio fit contra jus offensi, & quod non detur jus offensi: ergo &c. Unde si actio est circa jus alterius, revera dabitur jus alterius: & si actio est contra jus alterius in existimatione, dabitur jus alterius in existimatione. Fit quarto: remissionem offensæ dicere etiam duo inseparabilia, nempe & offensam extitisse, & illam destrui. Cæterum, cum offensa, quæ extitit non perseveret physicè, sed moraliter, destructio non debet tendere, ad faciendum, quod offensa non extiterit, sed ad tollendam denominationem moralem. Denominatio autem moralis stat in eo, quod offensa commissa denominat peccatorem debitorem, ad eum modum, quo furtum commissum denominat furem debitorem, donec ponatur, & admittatur satisfactio condigna, vel donec creditor, si ve offensus eliciat actum voluntatis æquivalentem tali satisfactioni condignæ, nimirum quo se placatum ostendat eodem modo, ac si posita, & admissa esset condigna satisfactio. Unde hic actus vocari solet cessio juris offensi: ac proinde est vera remissio. Exinde

146.

Fit quinto: non posse offensam existere Physicè, quin existat moraliter, bene verò è contra

Ratio est, quia existere moraliter nihil aliud est quam existere denominationem transgressivam juris offensi non remissam. Cum autem existat offensa pro instanti, pro quo committitur, & existit Physicè; exinde nequit existere physicè, quin existat moraliter. Pro instanti verò sequenti, si non remittatur, etsi non existat physicè offensa, manet tamen denominatio transgressionis juris offensi non remissa; ac proinde existit moraliter, quin physicè. Unde cum impossibilis sit illa transgressio, antequam offensa committatur, etiam est impossibilis remissio offensæ ante commissionem offensæ: alio pro instanti, pro quo offensa committitur, esset, & non esset offensa, simulque esset, & non esset jus offensi. Norandum autem est differentiam inter destructionem offensæ habitam per condonationem offensæ positam ab offenso, vel per condignam satisfactionem positam ab offenso: te, consistentis in eo, quod offendens habet debitum solvendi, aut patendi; ac proinde, si non solvat, ipsi imputatur, quando non destruitur offensa: Offensus verò non habet debitum condonandi; ac proinde si offensa per condonationem non destruitur, non imputatur offenso. Quare offendens vocatur causa conservativa offensæ, secus autem offensus.

Fit sexto: de potentia absoluta posse Deum remittere unum mortale sine alio: Ratio est, quia potest cedere juri offensi respectu unius, & non respectu alterius pro libito suo. Hoc autem in præsentî Providentiâ non fit, quia Deus decrevit non remittere unum mortale, alio non remisso, cum lethale remittatur per gratiam cum omni mortali impossibilem; ideoque exigat Deus penitentiam omnium peccatorum ad peccati remissionem. Quare auctor libri de vera & falsa penitentia apud August. tom. 4. cap. 17. rectè interit, *Deum non fore fidelem in promissione aliter faceret: postquam enim totus eo captivus nono declaravit ea; quæ separant verum penitentiam à falsa, & dixerit: totum enim hominem sanavit in Sabbato, quia & Corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberavit, indicans penitentem oportere simul dolere de crimine orto in anima, & corpore; postea fecit ad finem capitis ita subjungit: Quodam enim impietas infidelitatis est, ab illo, qui justus, & justitia est, dimidiam sperare veniam. Quo in lenius positâ nimirum hac divina promissione, expectanda sunt testimonia dicentia; non posse Deum unum mortale sine alio remittere: homo autem, cui unum sine alio remitteretur, non esse de esset Dei amicus, sed inimicus, non quidem ratione peccati remissi, sed ratione non remissi ad malum enim sufficit quicumque defectus. Unde illa cessio non esset amor amicitie, sed pietatis benevolentie, quo afficitur etiam*

Deus erga peccatores.

* *

DISP.